Poesio 1467.

Jezierski [Paludanus]

Paludani Steph. Stanisl. Triumphus Sanctorum.

TRIVMPHVS SANCTORVM

PARTEMII. M. ROM.

PHILIPPI NERII Conf.

ET

BASILIDÆ M. ROM.

Ex Ærario Gratiarum

Ab VRBANO VIII. fel. rec.

Abundè adornatus.

Breui varioque Carminum apparatu

A

STEPHANO STANISLAO PALVDANO,

Vice-Decano Eccl. Collegiatæ S. FLO-RIANI Clepard.

ILLVSTRATVS.

Anno SERVATORIS 1644.

CRACOVIÆ,

In Officina Christophori Schedelij, S. R. M. Typog.

In imaginem S. MARTINI Tutelaris Ecclesiæ Cłobucensis, pauperi ſeminudo chlamydem largientis.



S. MARTINVS

Martinus adhuc catechumenus hac me Veſte contexit.

Exſpoliant alii MARTINVS *veſtit egentem:*
Militis, ô minimè militis ingenium!

Adm. Rndo. Patri in Christo Domino,

D. IOANNI MSTOVIO, PRÆPOSITO, totíque Religiosissimo Canonicorum Regularium DIVI AVGVSTINI in Cœnobio Cłobucensi Cœtui.

Stephanus Stanislaus Paludanus perennem Felicitatem.

PErmotus famâ Triumphantium Vestris in oris, meo verò patrio solo Diuorum, spectator exilis partu ingenij onustus, applausurus accurro Adm. RR. DD. Faculam quidem ad Solem, & tenebras ad Lucem appono. Verùm cùm sua lucernæ Diogenis fuerit in meridie, sitq; vmbris pictis in tabulis gratia; meam hanc qualemcunque opellam Soli & Luci Oborientium in terrâ nostrâ Tutelarium adiungendam, perque manus Vestras offerendam duxi; ratus aliquid defuturum Victoribus in cælo coronatis, nisi tenebras lucubrationis palpabiles Luminibus tantâ maiestate hîc coruscantibus adiunxissem. Valete, & Ciuem ac Tribulem Vestrum redamate

Stephanum Stanislaum Paludanum.

Omnia enim poteſt puluis Cypriani cũ oratione. D. Greg. Nazian.

Facultas Ordinarij Librorum Cenſoris.

Imprimatur cum Licentia Superiorum.

AD DIVVM MARTINVM
Antistitem Turonæ,
ET
DIVAM MARGARITAM
Virginem ac Martyrem,
Tutelares ac Præsides Templi Cłobuceń.

INgens Turonæ præsidium tuæ,
Laxata scissi tegmina pallij
MARTINE profer, Dardanorum
Relliquijs cumulande, Diuûm.
Vectus citato nubis in essedo
Sic Te supernis infer ab ædibus,
Vt cuibrato Luna Soli
Noctiuago vehit astra curru;
Aut purpuratus cùm Cytherëio
Occurrit Atlas Hesperiæ aliti,
Vel cùm redundantes serenæ
Post Hyadas recreantur auræ:

 Conchy-

Conchyliati Tu quoque muricis
Pallam decoris indue brachijs
O Virgo, quæ gemmis propinquum
Nomen habes, graue MARGARITVM.
Redempta multo ſerica ſanguine,
Necnon cruento ſyrmata coccino
Produc, paludatamque ſume
Non ſolitis chlamydem Triumphis.
Fax ominatas Hoſpitibus vias
Sereniori lampade denotet;
Nutent repercuſsis tenaces
Luminibus Procerum coronæ.
Quonam diurnæ Phœbe iubar rotæ
Deliberato niteris impetu?
Deprome vultu Cłobucenis
Lumina nobiliora terris.
Intaminati prodiga ſanguinis
Agnoſco ſacris vergere plauſibus
PARTEMIANI membra Solis;
O Latij columen Gradiui!
Quis ille verò deproperantium
Flictus quadrigarum irreuolubili
Vultu ſerenat? cuius ore
Romulidûm tonuêre Roſtra?
Inauguratos ô igitur lares
PHILIPPE viſes? è niueis vbi
Extollit AVGVSTINVS aris
Explicitis ſua Caſtra ſignis.

Erecta

Erecta ſacris atria poſtibus
Cłobuciorum culmina Cœlitum
Spectate, vectam dedicatis
Basilidam radiare templis.
Fauete Ciues, non popularia
Veſtro vehuntur munera climati:
Trinam Triumphantûm carinam
Ne Lechico prohibete portu.
Seruata cælo Numina, Pignora
Seruanda terræ, plectra Quiritium
Auditis? En fulget coruſco
Nobilitas opulenta vultu.
Exercitatam fulgure gloriæ
Virtus iuuentam dulcè micantibus
Ornat coronis; aſſonantes
Pallade congeminante cantus.
Quin & ſuperſtes gratior aſpici
Chloris recenti geſtit in otio
Nutrire pratorum venuſtos
Cæſarie viridante partus.
Procumbit omni poplite Ciuitas,
Et hoſpitales tendit ouans manus,
Et gaudet occurriſſe Trinis
Hoſpitibus populi caterua.
Ridet voluptas mentis anhelitu,
Votiua Diuûm flamma recentibus
Crebreſcit Aris, & fragranti
Thure calent Superis acerræ.

O Mar-

O Martiorum sidera pectorum
Locanda templis Cłobuciensibus,
Inserte MARTINO perennes
Laurigeris Cineres triumphis.

IN S. MARTINVM
Basilicâ suâ, Diuorum PARTEMII, PHILIPPI NERII Conf. Et BASILIDÆ Martyrum Reliquias recipientem.

EPIGRAMMA I.

NAturæ priscos repetis MARTINE colores,
Cuî vt larga fuit mens, ita larga manus.
Olim vestieras in egenti paupere Christum,
Cùm tegeres medio corpus inerme sago.
Hospitio recipis seruos iam, macte, Tonantis,
Proficis; in Superos largus es, inque Deum.

EPIGRAMMA II.

CVm pare par graditur, vetus vt parœmia dicit;
Hinc olor, atq; lupus, gaudet olore, lupo.

Rege

Rege Dynasta libens fruitur, Mauortis alumnum
Heròés rapiunt, docta Minerua Sophum.
Sic sua quisq; fouet, fouet & dignatur honore
MARTINVS Diuos, vt pote Marte pares.

EPIGRAMMA III.

NOn iam purpureo voluuntur sanguine riui,
Pugnantûm iam non ora celeusma canunt.
Bellica raucisonos reboant non cornua cantus;
Turba perennè sonans sed modulatur Io.
Si quid inest causæ, vis scire? coronat agema
Victorum Præsul, Victor & ipse, TRIVM.

S. PARTEMIVS M.

ANAGRAMMA I.

PARTEM SVI S. M.

OSse medullato Chiron nisi pâsset Achillem,
Elumbis, fractus viribus atque foret;
At quia magnanimi mandebat crura leonis,
Amphitryoniadæ terror, onusque fuit.
Impauidum reddit si bruta sagina leonis,
Quî pauidum facient Martyris Ossa Dei?
Ergo sume celer (nam robur in Ossibus hæret)
PARTEMII PARTEM, quaM dat in OSse SVI.

SANCTVS PARTEMIVS

ANAGRAMMA II.

SVSCITAT SVPERNAM.

MOles nulla ferè citiùs quàm nostra deorsum
Composito fragili tendit, & æquat humum.
Pronus in omne malum rapitur quis præpete cursu,
Hunc natura parens lubrica sæpè ciet.
Aggrauat heu miseri pigra sarcina corporis illam
Quâ similes, mentem, reddimur Astricolis.
Ambigo quid faciam, luctor cum parte supernâ:
Erigit hæc sursum, deijcit inferior.
SVSCITAT vt credo PARTEMIVS sponte SVPERNAM,
Infernæ quæso porrigat eia manum.

SANCTVS PARTEMIVS

ANAGRAMMA III.

NACTVS PARTEM SVI.

PARTEMIVS diuisus erat, cùm venit ab Vrbe
Ædes in Cracias, & iuga Sarmatiæ.
Pars Borëæ cessit, Lybico pars corporis; inquit;
Scrutabor partes dimidiumque mei.

Ergo

Ergo SVI PATREM veniens hùc NACTVS, Amicos
Indigitat, sunt hi pars meã, & alter ego.

SANCTVS PARTEMIVS

ANAGRAMMA IV.

NACTVS PATREM SVIS.

PResbyterum, Patrem sancto de more salutant,
Diues opum, sapiens, dux, idiota, famens.
Quinetiam serui Näaman ad nomen herile,
Vt Fasti memorant, apposuêre Patris.
Munificus Pater est MARTINVS, quem pius Hospes
Est NACTVS PATREM, pignoribusque SVIS.
O Præsul, Patre Te quando nouus incola gaudet,
Ciuibus antiquis inclytus esto Pater.

SANCTVS PHILIPPVS NERIVS.

ANAGRAMMA I.

Sine Puppis, CHRISTVS *Luna*.

OCeani fluctus PVPPIS noctemque timere
Iam SINE, CHRISTVS erit LVNA serena tibi.

SANCTVS PHILIPPVS NERIVS

ANAGRAMMA II.

TV SVPPAR ES PINNIS LVCIS.

NOlo tuas volucres, rutilans ô Phœbe, quadrigas,
Deturbant cœlo quæ Phaëtonta tuum.
Nolo mihi monstres stridentia plaustra Bòótæ:
Alas stelliferas prendo PHILIPPE tuas,
Et bigas, quæ Cœlicolis sociant volo: namque
TV SVPPAR PINNIS LVCIS ES; alter Atlas.

SANCTVS PHILIPPVS NERIVS

ANAGRAMMA III.

THVS SVPPLES, PAN VINCIRIS.

SEgnem deficiunt heu me pia thura Polonum,
Queîs Superùm colles, vel calefiat Eös.
Te velut incensum posco mihi suâue, PHILIPPE,
Ne renuas, SVPPLES THVS benè semper olens.

Et quia Pastores generas Euangelus, inde
VINCIRIS, traheris PAN quoque funiculis,
Funiculis inquam, quos contorsêre, sacratis,
Gratia, mens hominum lilina, Diûs Amor.

SANCTVS PHILIPPVS NERIVS

ANAGRAMMA IV.

RECINAS, THVS, NILVS, PVPPIS.

O mihi si RECINAS, titulo quo Phœbe PHILIPPVM
De NERIO digner? nomine quoué colam?
THVS cæleste vocem? raræ virtutis odore
Omnibus exemplo Thuris ad instar erat.
NILVS erat, largo per egenos fonte refusus,
Gangeque nobilior, splendidiorque Tago.
PVPPIS erat, mundi volitans impunè per æquor,
Colligit Elysio sed modò vela solo.
NILVS opes animi voluit; THVS fragrat amore;
PVPPIS inexhaustas Numinis haurit opes.

SANCTA BASILIDA MARTYR.

ANAGRAMMA I.

TRANSI, AD LAC MATRIS ABI.

 Euax

EVax Indigenæ modici quos compita claudunt
Oppiduli, greſsûs agglomerate leues.
Campos turmatim veſtros peragrate patentes,
Tam vir, quàm mulier, virgo, puella, ſenex.
Fæmina Cłobucios Martyr peregrina Penates
Attingit, proprio murice picta caput.
Purpureo quamuis veniens de rore propinat,
TRANSI quilibet, AD LAC citò MATRIS ABI.

SANCTA BASILIDA MARTYR.

ANAGRAMMA II.

AD BASIM ARCA TRANSILIIT.

PIgnora BASILIDAE cur fert incognita tellus,
Eruta de Latio Romulidumq́ue ſolo?
Auſonijs Diuam quis quæſo pellit ab oris?
Aut cur ignotam quærere cogit humum?
Nemo: ſed è tenebris ſepteno munere plena
ARCA BASIM AD celſam BASILA TRANSILIIT.

SANCTA BASILIDA MARTYR.

ANAGRAMMA III.

MARTINI LITABIS AD ARAS.

QVÆ

QVÆ facies rerum? quis nunc comparuit Ordo?
Quo folio, vel quo Codice colligitur?
Prodigium video ſat grande; virago Sacerdos
Conſpicitur, ritu conſtituenda nouo.
Iam ſcio: MARTINI Neomyſta LITABIS AD ARAS,
Cùm ponêris ibi Victima grata Deo.

SANCTA BASILIDA MARTYR.

ANAGRAMMA IV.

AD CASTRA MARTINI ABIS.

O Iterum terris in ijs res mira videtur!
Heröina ſonat, quæ modò Myſta fuit.
Quæ Metamorphoſis? Tibi num Bellona genitrix?
Quàm citò bellatrix, hem, mea BASILIDA!
Suadeo, ſed fruſtra: nam virtus Te tua ducit:
CASTRA AD MARTINI candida fortis ABIS.
Progreditor felix, quo Te Diuina vocauit
Maieſtas, & ouans prælia noſtra gere.

AD

AD AMICVM

Sacrorum Loculorum conditorem MATTHIAM nomine.

QVem piget in Loculos, loculos conuertere, Diuûm,
Non ſatagit loculo commodiore capi.
Te ſuper optima ſors cecidit, qui Lipſana curas
Vrnâ Sanctorum ſplendidiore tegi.
Nam licèt vndenos inter nequeas numerari
Diſcipulos, capiet te Duodena cohors.